

30.2461 (6064)

17859

233 313

RVDOLFFI GVILIELMI
CRAVSII,

PHIL. ET MED. DOCT.

PRAX. ET CHIM. PROF. PVBL.
FACVLTATIS MEDICÆ, TOTIVSQUE
SENATVS ACADEMICI SENIORIS,
ET H. T. DECANI

Propempticum Inaugurale.

DE

SPECTRIS MONTANIS, SEV
METALLICIS, CAVSIS MOR-
BIFICIS.

J E N Æ,

Litteris KREBSIANIS.

1782



AB Med. Quatologie



Notissima pariter ac elegantissima sunt, quæ de mercatorum lucri cupiditate, & ideò omnium ærumnarum, omnisque periculi, insignique contentu canens profert Poetarum facilè princeps, *Horatius:*

*Impiger extremos currit mercator ad Indos,
per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

Profecto, idem, si non major generosus tot præsentissimorum periculorum neglectus prædicari quoque debet de METALLIFOSSORIBVS. Quot & quibus quæso hoc hominum genus vitam, sanitatemque suam non exponit periculis? Ingridiuntur metallarii per angustas, asperisque saxis horridos meatus, in profundissimas terrarum speluncas, ubi ipsis lapsum minitantia prægrandia saxa, tetris & corrosivis mineralium effluviis turgidus aër, caloris subterranei squalor, ventorum & aquæ fluctuum in interioribus terræ cavernis boatus & strepitus maximum de reportando vitæ & sanitatis thesauro non raro incutiunt periculum. O miseram igitur metallifossorum conditionem! horret animus, dum hæc cogito.

At at omnia hæc, durissima licet, facilius ipsis toleranda essent, si modo dira, ac horrenda *spectra montana*, seu *metallica* non tam periculosas, ac frequentes eorum vitæ, ac incolumitati simul struerent insidias.

Non est, quod vel cum quibusdam, tum de existentia spectrorum in genere, tum de montanorum horum dubitemus, cum eadem à tot viris fide dignis abunde asserta, ac comprobata sit; multique, proh dolor! atrociam harum larvarum Sathanicarum cum damno enormi experti sint.

Sicut vero Dæmon, mille artifex est, ita etiam justissimo Divini Numinis permisso mille adhibet modos ad lædendos, terrendos, vel fovendos homines, & quandoque se Dæmonem
seda-

sedatum, benignum, ac beneficum quasi fingit, ut scilicet homines à vero veri Dei cultu abducat, & quandam erga se fiduciam apud eosdem consequatur.

Apprimè fraudem hanc exercet quoque infernalis hic spiritus in profundissimis scaptensulis, quando sub specie & in formâ *virunculorum*, sive homunculorum *montanorum* metallicarum apparet, & ipsis de largo minerarum metalli fecundissimarum proventu bonum omen existit.

Audiunt igitur *virunculi* hi, subterranei & metallici, sive potius *Dæmones montani Cobali*, Germanice *Berg-Männlein* / *Berg-Kobelte*; de quibus rerum metallicarum expertissimus vir, *Georgius Agricola* in fine libri de animalibus subterraneis hæc consignata reliquit: *Adsedatos illos* (scilicet *Dæmones*) *Germanorum alii, ut etiam Græci, Cobalos vocant, quod hominum sint imitatores. Nam, quasi letitia gestientes vident, & multa videntur facere, nihil interim efficientes. Alii virunculos montanos vocant, quia plerumque apparent nani, tres dodrantes longi; videntur autem esse seneciones, & vestiti more metallicorum, id est, vitæco, indusio, & corio circa lumbos dependente. Innoxii sunt hi metallicis, etsi interdum glareis operarios lacestant; rarissime tamen eos ledunt, nisi cachinno, vel maledicto laceffiti. Potissimum opus facere videntur in his specubus, in quibus metalla jam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est. Atque in Dialogo, quem *Bermannum* inscribit, his fere similia leguntur.*

Verùm enim verò, licet hi *Dæmones* se benignos, ac beneficos quandoque monstrent, attamen, perbenè judicante doctissimo *Caspere Schotto*, in *Physica sua curiosa*, id faciunt aut, quia à Deo nocere ipsis non est permissum, aut, ut suo tempore, gravius damnum inferant, uti id sequens historia satis superque confirmat.

Ludovicus Lavaterus, lib. de spectris, part. 1. c. 16. refert, scriptum ad se à viro pio & docto, *Davosti* in *Alpibus Rheticis argentifodinam* esse, in quam consul illius loci, *Petrus Buol*, superioribus annis sumtus fecit, & ex quâ opes non exiguas collegit. In illa spiritus, seu *Dæmon montanus* fuit, qui cum metallici res fossiles insunderent vasis, plerumque diebus *Veneris*, valdè negotiosus esse visus fuerit, metalla suo arbitrari

ex uno vase in alterum infundens; Quod consul ille non indigne tulit. Quoties in fodinam descendere voluit, vel adscendere, cruce se muniens, nunquam laesus est. Accidit autem, ut, cum spiritus ille die quodam, valde importunus esset, id metallicus quidam moleste ferens, convitiis eum incesse, jussitque eum abire in malam rem, additis diris execrationibus. Spiritus ille, operarii caput apprehendens, ita eum torfit, ut facies in tergum verteretur. Non tamen extinctus fuit, sed diu postea obtorto, vel inverso collo superstes, multis, qui etiamnum vivunt, familiariter notus fuit, & inim paucos demum annos è vivis excessit. Huc usque Lavaterus.

Præter hos primâ fronte blandientes quasi Dæmones metallicos, dantur & alii, truculentiam, & infernalem suam inimicitiam in metallicas aperto Marte testantes, de quibus supra laudatus Georgius Agricola, loco primùm allegato hæc habet: In metallicis fodinisveniuntur & truculenti quidam (Dæmones nempe) terribiles aspectu, plerumque metallicis infesti, atque inimici sunt. Talis fuit Annabergicus Dæmon, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit, in specu, qui corona rosea appellatur, eo nomine relictus, quantumvis argento dives esset. Flatum verò emittebat ex rictu, equi, enim specie, habentis procerum collum, & truces oculos dicitur visus. Ejusmodi etiam fuit Schneebergicus, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatus, in superiore loco maxima illius concavitate, quondam feracis argenti, collocavit, non sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deferere apud Turcas cogebatur Judæus, à Dæmone metallico, hominibus frequenter in forma caprae, aurea cornua gerentis, apparente.

Occurrunt certe effecta morbifica non pauca tum alibi locorum, tum in profundis terræ recessibus ac scaptensulis, à diris spectris hominibus illata.

Satis hæc de re loquuntur ab hæc causa ortæ febres continuæ, exque sæpe malignæ, partium externarum livor, & suffragillatio, ab illapso viso pondere graviori respiratio difficilis, sanguinis sputum, ulcera labiorum, & faciei, motus convulsivi, aliaque plurima.

Neque opus est, ut è longinquo, vel priscis literarum monumentis multa testimonia in hanc rem afferamus, inprimis



mis quia plura alia in facultate nostra nobis expediunda prostant, cum *Clarissimus noster Candidatus*, urbe, propter vicinas metallifodinas, largissimam nobilium metallorum & mineralium copiam suggerentes, celeberrima, *Goslaria* nempe oriundus, id abunde testari possit. Affirmavit scil. nobis iste, quod sibi felicem apud metallarios ejusdem loci medicinam facienti, non pauci hujus ordinis metallicidæ occurrerint, qui de læsionibus a spectris illatis conquesti, operam suam efflaxerint.

Firmum itaque atque ratum manet, *spectm in foro medicocensum causarum supernaturalium* quoque augere, & ad τὸ θεῖον, improprie dictum, sive *Dæmoniæ* spectare.

Hæcce præmittendi ansam nobis dedit per eruditè elaborata *Dissertatio Inauguralis*, *ÆGRVM exhibens COLICA SATVRNINA LABORANTEM*, Clarissimi & dignissimi nostri Candidati

PHILIPPI WERNERI STOCKHAVSEN,

ad cujus honestum vitæ & studiorum ingressum & progressum exponendum nos, more recepto, accingimus.

Primam aspexit lucem *Goslariæ*, Anno Christi *MDCXXCVI.* die *IX. Febr.* Natus parentibus & nobilitate generis, & gloria majorum clarissimis. *PATREM* sortitus est *JVLIVM ALBERTVM STOCKHAVSEN*, *Med. Licentiatum*, & metallurgis & metallicidis, ex singulari gratia *Serenissimi & potentissimi Electoris*, & *Duc. Brunsw. ac Luneburg.* physicum præpositum ordinarium. *MATREM*, *IOHANNAM ELISABETHAM VON VSLAR*, optimis moribus fœminam.

A suavissimis his parentibus ad pietatem & ceteras virtutes tum monitis assiduis, tum proprio exemplo assuefactus, & sub variis præceptoribus, sane doctis & præstantibus quæ vera πηγαὶ τῶν καλῶν, ut *Xenophon* appellavit, ætas puerilis imbueretur, habitus est.



Prima vero studiorum & pietatis elementa hausit à Ioh. FRIDERICO SCHACHT, Ecclesiæ Cathedralis, quæ Goslarix est, Cantore solertissimo, sed crescentibus annis, & literarum profectibus, curæ & disciplinæ clarissimorum præceptorum scholæ patriæ subiectus est. Et primum THEODORO VALENTINO WERNERO, tunc temporis sub-Rectoris provinciam sustinenti, viro per docto, postmodum autem doctissimis Diatribus IOH. ANDR. SCHMIDII, Con-Rectoris, & AVGVSTINI CAROVII, Rectoris Lycei Goslariensis per aliquot annos interfuit; Tam quoque in historicis, Geographicis, aliisque disciplinis audire ipsi contigit IOH. HEINECCIUM, Pastorem, illo tempore apud Goslarienses meritissimum; jam vero S. S. Theologiæ Doctorem, Regium Diœcesios Salanz, in Ducatu Magdeburgico Inspectorem, Adj. Pastorem ad Div. Vlrici & Gymnasii Hallensis Scholarcham, qui vir Excell. & de Ecclesiâ, & de re literaria optime meritus est, & adhuc meretur singulariter.

Fundamentis his politioris studii sub horum ductu feliciter positis, animum suum arti imprimis medicæ, Deo sic dirigente, consecravit; Quo facto, sub cura & fideli manu ductione Dn. Parentis colloquiis, & præceptis, posteaque institutionibus medicis solertissime instructus est; & ne quid hac in parte omitteretur, per lustrum, & quod excurrit, cadavera violenta morte extincta, quæ sectionibus & scrutiniis anatomicis paternis subiciebantur, non tantum vidit, sed etiam manus auxiliatrices ipsi curiosissimo labori admovit. Præterea praxin paternam, felicissimam, magna cum jucunditate, quotidie intueri, eamque primis ab annis pernoscere ipsi fuit integrum.

Quibus cognitis, jussu parentum, ac amicorum consilio ad Academiam Jenensem Anno M DCC. se contulit, ubi sub auspiciis t. t. Rectoris Magnifici MÜLLERI, Poeseos Professoris meritissimi, inter cives Academicos receptus est; studiorum vero primordium hic loci à philosophicis & physicis cepit disciplinis, quas magno cum applausu docuit Excellentissimus

GEOR-

GEORGIUS ALBERTVS HAMBERGERVS, phys. & Mathem. prof.
 celeberrimus, cujus etiam Collegium physicum Curiosum ex-
 perimentale bis audivit. Neque minus postea auditor fuit,
 sedulus Magnifici & Excellentissimi GEORGH WOLFFGANGI
 WEDELI, Hereditarii in Schwarza Med. D. Com. Palatini Cæs.
 Archiatri Ducalis Saxonici excellentissimi, Theor. Profess. publi-
 ci unde quaque celeberrimi, ejusque Collegium physico-
 logicum, de materia medica, de compositione medicamento-
 rum, de morbis mulierum &c. feliciter absolvit. In lectio-
 nibus Botanicis, Anatomicis, publicis & privatis, ipsi præsto
 fuit, Nobilissimus & Excellentissimus IOH. HADRIANVS SLE-
 VOGTIVS, Hereditarius in Oberrosla, Anat. Chirurgiæ & Bota-
 nices Professor Publ. summeque meritis, Medicus Provincia-
 lis Ducalis celeberrimus, cujus fideli informationi, & priva-
 tæ conversationi se multum quoque debere ultro fatetur,
 gratissimoque agnoscit animo. Neque abfuit à lectionibus
 doctissimis Excellent. ERN. HENR. WEDELI, Professoris, dum
 viveret publici extraordinarii, & medici Saxo Vinariensis, ac
 poliatri Jenensis felicissimi, commentantis in Theoremata Ve-
 nerandi sui Patris, laudati WEDELI, ejusque collegium de
 Morbis infantum & pathologicum. Nec prætereundum pu-
 tat Experientissimum D. HERMANNVM FRIDERICVM TEICHMEYE-
 RVN, cujus Collegiis interfuit. Disputationes, earumque ex-
 ercitiū quod attinet, in illis opponentis partes, quotiescun-
 que se obtulit occasio, in se suscepit, deditque operam, ut
 mens pariter ac lingua promptior, & expeditior inde reddere-
 tur. Peractō sic per aliquot annos studio medico tam in
 Theoreticis, quam practicis, à parente suo honoratissimo do-
 mum revocatus est, ut praxi suæ, quam habet amplissimam,
 adesset; ibi quoque per triennium, quantum potuit, animum
 suum ad curandos morbos applicuit, nihilque omisit eorum,
 quæ ad medicinam practicam pertinere viderentur; Sed præmia
 virtutis & studiorum cupiens, memor primæ studiorum suorum
 matris, ad Academiam nostram celeberrimam accedens, mo-
 destè petiit ad consueta examina admitti. Admissus comprobavit
 pro-

* o *

profectus solidos & laudatissimos in repetitis examinibus con-
suetis, & nunc in eo est, ut supra laudatam, disputatio-
nem sub præsidio WEDELIANO publice in cathedra de-
fendat.

Ad hanc panegyrim Magnificum Pro-Rectorem, illu-
strissimos Comites, Academiae proceres excellentissimos,
omniumque ordinum hospites & comilitones honoratissimos
perofficiosè & decentissimè invito. P. P. sub sigillo
Facultatis. Jenæ d. VI. Octobr.
M DCC XII.



L.C.
△
Geology
Lyceum